



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

M. Fabii Quintiliani Institutionum Oratoriarum Libri Duodecim

Summa diligentia ad fidem vetustissimorum codicum recogniti ac restituti

M. Fab. Quintiliani Declamationes Undeviginti. M. Fabii Avi Et Calpurnii
Flacci Declamationes. Auctoris Incerti Dialogus De causis corruptae
Eloquentiae - Cvm Variorum Notis

Quintilianus, Marcus Fabius

Lugd. Batav. ; Roterodami, 1665

XVII. Venenum effusum. Pro filio contra patrem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12889

amicum meum alligavi, & ut te viderem, poenam meam altero homine implevi. Scio quo hoc amicus praestiterit animo, sed ego rem feci hominis non reversuri. Interrogo hoc loco impatientiam tuam mater, interrogo, quid faceres, si nos ad te videndam deduxisset alligatos aliquis satellites, si barbarus aliquis? Fruereris oculis, fruereris amplexibus? Non est quod te ista tanquam levior, tanquam expeditior conditio decipiat. Quid putas esse quod me dimisit solutum ire quo vellem? Crudelis artifex non reliquit nobis ut imponeremus. Supervacuo igitur hoc vos in matris causa movet, quod caeca est. Hoc quod nobis invidiam facit vulneribus oculorum, nolite detinendi putare causas: idem videns faceret. Nec plus est quod non potest caecitas ferre, quam mater, ut aliqua filio carere non possit, nonnunquam calamitas facit. Quod si, iudices, in persona mea nec affectu nec meritis inferior est amicus, quid aliud justitia vestra debet attendere, quam uter plus patiatur? Jam satiavit dolorem mater, egressit aetatus, effudit impetum, jam non desiderant oculi, cum cadunt. Adjice quod hanc qualemcunque fortunam inter amicos tenet, inter propinquos, habet omnia ministeria sua debilitas, suas cooperationes. Vis scire quanto intolerabilius sit quod patitur amicus? Excavavit te quod ego sic tenebar: ille accipit cibos, quos carnifex, quos tortor apponit.

DECLAMATIO XVII.
VENENUM EFFUSUM.

ARGUMENTUM.

Filium ter abdicare voluit pater, victus. Invenit quodam tempore in secreta domus parte medicamentum terentem. Interrogavit quid esset, cui parasset. Ille dixit venenum, & se mori velle. Iussit pater bibere. Ille effudit medicamentum. Accusatur à patre parricidii.

PRO FILIO CONTRA PATREM.

LASSATUS per diversos miseræ mentis aetatus, & leundem dolorem, dum me ab utroque animi genere
semper

I Dum me ab utroque animi genere.] semper quod impulit, abducat. Nam dum scribe: cum me ab utroque animi genere | abducit & licet, erat dicendum. Gron.

semper quod impulerit abducatur, & in pertinaciam desperationemque neutram mihi liceat perferre patientiam: hoc primum à notissima clementia vestra peto, ne miremini quod inter tam varia tristissimaque fata consilio diductus sum, nec pro malis meis quicquam melius invenire potui, quam ut morerer: nec pro innocentia, quam ut viverem. Novo igitur, iudices, inauditoque genere discriminis utriusque animi reus, qua satis calamitates meas comploratione, quo deslebo gemitu? Filium mori volentem pene occidit, quod intervenerat pater. Videtis adhuc illa secreti nostri contentione rixantem. Quicquid citra suprema, citra exitium est, contumaciam vocat: quantum absolutionem aspicit, vitam. Quis post hoc quærat ac dubitet quo me affectu iusserit virus haurire, qui parricidium vocat quod non biberim? Permissurus fuit, si bibere voluisssem. Quæso itaque, iudices, delationis hodiernæ penitus velitis perspicere causas. Objicere putatis parricidium patrem pro se? Necatur, uritur, sine dubio torquetur vita. hoc enim non potest ferre, quod mori filium iussit, nec coëgit, & scit facinus fuisse in imperio, si innocentia est quod recusavi. Sux quod crudelitatis est, ¹ vel ab invidia se criminibus meis defendit, excusat, & ne vocem illam tanquam peractum facinus oderitis, substituit pro malo patre miserum. Hic est, iudices, deprehensæ impietatis æstus. Nemo unquam volet innocentem filium videri, quem voluerit occidere. Illud quoque, iudices, à gravitate publica peto, ne quis me mori voluisse non credat contumaciter. Adhuc prioris constantiæ meæ more defendor: alia est mihi ratio cum vici: fortior sum reus quam absolutus. Sed tunc tantum par esse non possum calamitatibus meis, cum me constare cœpit nihil aliud esse quam miserum. Bene quod rursus vocavit in forum, iussit integritatis agere causam, fecit ut mihi videar perdidisse mortem. Si pœnitet patrem
quod

¹ Vel ab invidia se criminibus meis.] | vidia, de criminibus meis defendit, excusat.
Ilego: Sux quod crudelitatis est, mea in- | Idem.

quod me bibere iussit venenum, ego ferre non possum quod effudi. Licet igitur immitissimus senex confundere publicos conetur affectus, querelarum fronte mutata, non sumus novi vobis accusator & reus, nec nos modo pietatis everfæ recens asseruit immanitas: parricidam me olim vocat. Ita est enim, iudices, ita est, jam pridem hominum nefandorum ¹ solis nominibus accusatur. Sic mihi illa prima patris maledixit asperitas. Hic est ille quem desinere jam iusseratis, qui semper ad vos recurrit, & vincitur. Fallitur quisquis illam de moribus senis lassitudinem vel patientiam sperat. Patri qui abdicare non potuit, minus est filius nocens, quam absolutus. O pertinacissimum accusatorum genus, victi parentes. Dum auctoritatem nominis vestri fortius imperiosis asseritis affectibus, & ne pudorem poenitentiamque fateamini, contumacia vindicatis errorem, calamitatibus meis accessit, ut ter absolverer. Namque ut erat in supervacuo odio mei senex prima luce deprehensus, ferre non potuit, quod reddebar invito: & quia à iudicibus non impetraverat ut abdicaret, apud se tenuit, ne desineret hoc velle. Credidit tamen aliquid profecturum querelarum errore repetito, & speravit juxta contentionem suam ut lassesceret aliquando pro me iusta misertio. Quid facerem igitur? quo verterem jam fatigatam innocentiam? Nec exire me decebat ex domo, ne viderer quicquid vos non credideratis, agnoscere: nec expectare poteram, cum mihi rursus aliam seriem malorum minaretur, quod me jam cœperat pater contentione qua vobis irascebatur, odisse. Tandem infelix misertus mei, misertus patris, cum de præteritis prospicerem, iurgia tam longa quam vitam, captavi fateor, omnem occursum, quem mihi videbar exasperare præsentia, exorare dum morior, & tanquam novissimi ambitus genus excogitavi, ut me in honorem sui reverentiamque pereuntem, sic odisse desineret, quomodo

¹ Solis nominibus accusatur.] Immo accusat, nempe me pater. Aut accusant, nos scilicet à patre. Gronovius.

quomodo parcere solet ira cedenti. Non habet alium quam mortis exitum filius, qui nec reconciliari potest, nec abdicari. Erat in domo nostra locus, in quem secedebam semper reus, in quem revertabar absolutus, querelis meis lacrymisque jam conscius in quem se ferant. In hunc non tanquam custodiae patris imponerem (nam quid possit inveniri, quo non me captantis aliquid deprehendere cura sequeretur?) sed ¹ sicut solent qui immori volunt, pudore, non ira, ab omnibus quæ videbantur avocatura, secessi. Nam nec placuerat exitus genus querulum, tumultuosum, aut quod faceret invidiam. Sed quid mihi tecum est integritatis nimia simplicitas? Non putat se posse deprehendi, quisquis venenum parat ipse poturus. Totus oculis animoque conversus hærebam miser in opere moriendi (nec dissimulo) cum quadam cunctatione, cum mora, sicuti bonæ conscientiae lenta mors est, nec præcipiti per suprema trepidatione festinant, quos hoc solum quod sui miserentur occidit. Abiit per tacitas conquestiones mens in obitus contemplatione posita: & haustusur potionem qua renunciarer rebus humanis, totam apud se repetebat animus innocentiam suam, cum pater secretum ² quod per impatientiam pereuntis impleveram (quantum credo) lacrymis meis gemituque perductus intravit. Non potest videri, iudices, suspicatus aliquid de parricidio: quid tererem, cui pararem, nesciebat, qui interrogavit. Nuncio vobis, sanctissimi viri, nihil à morientibus fingi: nihil vita laborante simplicius. Ad subitum interventum patris non tanquam deprehensus obstupui, facinus me tacente, non pallor, non est confessa trepidatio: nec, sicut accidere nocentibus solet, illa obvia semper ³ errantium patrociniolorum verba variavi, cum me repente interrogatione subita avocavit, abduxit, quæsit quid tererem, cui pararem: sed ego sine

P cuncta-

¹ Sicut solent, qui immori volunt.] For- impatientiam pereundi non clauseram. Idem
te, emori. Gronovius. ³ Errantium patrociniolorum verba.]
² Quod per impatientiam pereuntis imple- Numquid, illa obvia semper peccantium
veram.] Sensus videtur requirere: quod per patrocinio verba variari. Idem.

cunctatione, sine tarditate respondi, ¹ & me mori velle eadem veritate, & confessus sum venenum esse quod terebatur. Date, iudices, patrem qui filium mori nolit & credit. Quis habeat, iudices, dicenti fidem? Venenum filii quod invenerat pater, non ille potius effudit, stetit quinimmo intrepidus, arrogans juxta orbitatem quam videbat, & mihi mortem quam promiseram, quam minabar, ingessit. Bibe, inquit. Quis post hoc, iudices, expectat, ut continuo paream jubenti? Ita demum mihi non est aliud relictum, si patri parui. Audite nunc dii pariter atque homines, quid post tres abdicaciones & querelas toties ² iudicum gravitate percussas, velut attonitus amens nunciet seculo pater parricida sævus, parricida crudelis. Non bibi venenum. Hoc est totum facinus meum, vivo, respondeo, non fugio iudicem, non cedo criminibus. Jam non miror quid sit circa quod impatientia deceptæ crudelitatis exæstuet plus quam ³ orbitatis gaudium, quod modo perdidit senex, speraverat ut occidere me posset meo veneno. Sed quatinus invenisse se putat quod crederetis, ut contentionibus subinde damnatis auctoritatem de novo dolore circumdaret, inusitata commentus est. Quæ sola mihi superest ratio vivendi, facinus ea simplicitate, ea fide denego, qua confessus sum de veneno. Parricidii agis. Abstulisti quidem mihi partem, ut exclamarem hoc loco, fieri non potest. Scio quantum defensionis meæ difficultatis adjecerit, quod jampridem in domo nostra humanorum pignorum ratio non constat, sed pronunciatum liquet utri ex nobis facilior sit impietas, ⁴ uter juxta alterius languorem suprema non fecerit.

¹ Et me mori velle eadem veritate & confessus.] Altera copulativa abundat, altera locum migravit. Scribendum: respondi me mori velle, & eadem veritate confessus sum. Gronovius.

² Iudicum gravitate percussas.] Forte, repressus. Deinde: nunciet pater: Parricida sævus, parricida crudelis non bibit venenum. Filium pater vocat parricidam; non patrem filius. Idem.

³ Orbitatis gaudium quod modo.] Tolle rō quod: & distingue: Jam non miror, quid sit; circa quod impatientia deceptæ crudelitatis exæstuet, plus quam orbitatis gaudium modo perdidit senex: speraverat, ut occidere me posset meo veneno. Idem.

⁴ Uter juxta alterius languorem suprema.] scribe: uter juxta alterius suprema clamorem non fecerit. Paulo ante: stetit quinimmo intrepidus, arrogans; juxta orbitatem. Idem.

fecerit. Tu unicum quotidie proturbare conaris è domo, velles inopiam meam, velles aspicere squallorem. Ego osculor illas expellentis manus, ego abjicientis genua te-
 neo, & ad patrem qui me tam notabiliter odit, ¹ non habeo cur velim redire, si non amor. Prævaleret nominis tui fortassis auctoritas, si contentio nostra cœpisset à veneno. Consumpsisti quicquid est quod parentes ab omnium scelerum suspitione defendit. Non habet pater unde parricidium de filio credat, nisi quem posset occidere. Me quidem pater infelicis hujus persuasionis simplicitatem si quis interroget, nec à te parricidium fieri posse credo, nisi meo veneno. Facinus tamen in omnibus incredibile pignori-
 bus, nullis difficilius quam liberis puto. Vos adhuc in suprema nostra præcipitat auctoritas, qui filium occidere vocatis plerunque gravitatem, ² sicut abdicationis emendationem, sicut reliqua supplicia nostra rationis fronte protegitis, cunctosque prærigidæ mentis affectus vocabulo molliore lenitis. Nos nec felices facinus istud possumus concipere nec miseri. Non perveniunt ad nefas istud nec necessitates. Omnis citra desperationem dolor, ira languescit. Et quanto dii deæque difficilius si patraretur sine conscio, sine ministro, totumque facinus & animum filii poscat, & manus? Memento cujus objicias immanitatis horrorem, patrem occidere velle. Hinc tantum accipis vires, ut mori possis deprehensus. Ut sciatis, inquit, verum esse quod objicio, & abdicare volui. Non potest pater efficere ³ genus querendi, pertinacia probationis. Tu cum dicis, filius me voluit occidere, videris tibi facere prioribus iudicibus invidiam, exclamare, vos faciles, vos misericordes, hunc mihi redditis. Sed iniquissimum est ut abdicatio, quæ

P 2 nec

¹ Non habeo cur velim redire, si non amor.] Immo, si non amo. Sese enim bonum filium facit quamvis mali patris. Idem.

² Sicut abdicationis emendationem.] Lege: abdicationes. Idem.

³ Genus querendi, pertinacia probationis.] Male hæc vulgo distinguuntur in omnibus exemplaribus, quæ vidi: sensus enim, querendi pertinaciam non posse efficere genus probationis. Idem.

nec in sui valuit effectum, fidem majori crimini præstet. Non sum reus inexplorati pudoris, nec antea acta vitæ meæ sub hodierna primum lite tractantur. Felicior innocentia est citra suspiciones, certior post reatum. Et quantum infamiae præstant ¹ objecta dum nutant, tantundem auctoritatis absoluta restituunt. An scilicet superatus est gratia pater, & apud senes, & apud parentes auctoritate prævalui? Viderint qui calamitatibus suis sic blandiuntur, ut sibi affuisse credant misericordiam, favorem: filius à patre delatus, nunquam poterit superior esse nisi causa. Sane tamen feramus, ut prima abdicatione non egefferis totum dolorem, multa tibi de criminibus meis verecundia querendi, multa paternæ pietatis abstulerit infirmitas, quid non implet repetita delatio? Reversus es in forum jam ad iudices iratos. ² Quanto terrore cuncta pertulit pudor ille jam victi & redeuntis indamnatam colluctationem? Acrior semper ex verecundia dolor. Sed & iudicum cura quanto malignior circa rediturum reum? Quam multis placet illa de dissimilitudine pronuntiationis auctoritas, & severior videtur diversa sententia? Tertia vero abdicatio, dii immortales, quem apparatus, quem movit ambitum! Ego miror quod mihi licuit audiri, quod me non statim primus querelarum tumultus oppressit. Quid post ista novi pater objici potest? Inter leges, inter jura consenui, non habeo in moribus meis, quod non melius iudices sciant. Scilicet capit natura rerum ut futurus parricida non præmiserit notas, nullis ante sit maximi sceleris immanitas tumultuata flagitiis: & quandoque culeo, serpentibus expianda feritas, sub placida mente primam pertulerit ætatem? Aliud est miserorum genus, quod clementia, quod succurrendi favore dimittitur. Absolverunt me qui sciebant non profuturum mihi quod non abdicarer. Proclames igitur licet, Subinde detuli, sæpe questus sum, ter abdicare volui:

¹ Objecta dum nutant tantundem.] Pessime. Lege: Et quantum infamia præstant objecta damnato, tantundem auctoritatis | absoluto restituunt. Gronovius.
² Quanto terrore cuncta pertulit.] Immo perculit. Idem.

lui: ¹ hoc tamen res ista debet efficere, ut tibi non oporteat
 credi, quicquid aliud objeceris. Non enim sequitur, pater,
 ut me tuis criminibus accuses, quod nocentem tuis mori-
 bus probes filium. Parricidam non facit severitas vestra,
 non sævitia, non terror: ad tam grande facinus non ira
 opus est, sed moribus: non dolore, sed mente. ² Omnes in-
 juria levius exasperant: levius oderunt: innocentis filii
 ultio est, mori. Quod si manifestum est nihil tunc in mori-
 bus fuisse meis, quod posset esse suspectum, æstimemus
 unde postea traxerim parricidii causas. Vos libet interro-
 gare hoc loco, judices, quis magis debet innocentiam ama-
 re? Vici patrem, omni nunc sollicitudine, omni labore cu-
 stodiam illam gratiam, illum ambitum meum, quo remu-
 neror advocatos, quo persolvo iudicibus illud propter
 quod audeo domum reverti, propter quod non timeo ca-
 sus, non subita pro patre, non maligna fata. Fidem non
 capit, ut me tres absolutiones, & innocentem probaverint,
 & effecerint parricidam. Præterea, pater, quam infirmum
 me, quam trepidum reddit ipsa victoria? An scilicet igno-
 ro, quod me reversum circumsistat totius domus maligna
 cura? quod vivo inter homines quibus apud te gratiam pa-
 rat, si de nobis aliqua mentiantur, fingant? Videlicet hoc
 nos in facinus præcipitat, impellit, quod aliquid speramus
 de testamento tuo. Quid? ego non sentio quod simili sce-
 lere missus in domum à charitate tamen exclusus, abjectus
 sum? Rogo, qua fiducia facinus paro toties delatus, & pa-
 terna conquestione petitus? Quod vis patrocinium sperem
 pro parricidio meo? Defendi non possem, si bibisses tu ve-
 nenum. Finge me parricidii voluntatem, finge habere
 causas: unde occasionem, unde fiduciam? Ego nec mori
 possum, nisi ut deprehendar. Venenum paro, qui non mi-
 nistrum, qui non invenio conscium? ³ Despicio à liberis,

P 3 con-

¹ Hoc tamen res ista debet efficere.] *vius mordent. Idem.*
 Forte: hoc tantum. Idem. ³ Despicio à liberis, contemnor à servu-
² Omnes injuria levius exasperant, le- *lis.] Lege à libertis. Sic infra: Volo prius*
vius oderunt.] Videtur scribendum: le- convocare servulos, contrahere libertos. Idem

contemnor à servulis, evitant sermonem meum, colloquia fugiunt, & charitatem tui simulant odio mei. An videlicet spero posse fieri ut ipse porrigam? Est enim mihi ad convictus tuos facilis accessus. Venenum mehercule putabis quicquid dederint hæ manus. Et virus præsentaneum paro, quod statim, quod subito corripiat? At quemadmodum mihi supersit ulla defensio? An lentum, & quod tarda peste consumat, scilicet ut non statim exclames, ut te meum virus bibisse non credas? Rogo, cui paravi venenum, quod dare non possum nisi mihi? Ita, inquit, parricidæ argumentum est & hoc ipsum, quod habuisti venenum. Omnibus, iudices, quibus ad scelerum conatus adjuvatur deteriorum quotidie fœcunda mortalitas, non hanc solam potentiam natura concessit, in quam malis mentibus & nocentium ducuntur ingeniis, sed illis usus ex animo est, totumque quod faciunt, de conscientia possidentis accipiunt. Quid enim si latronem gladio tantum probes? Sic munimus & somnos. Excute peregrinantium sinus, hærent tela sollicitis. Non vetant ista leges parare, prospicere: nec instrumenta prohibent, sed æstimant usus. Finge me velut in media prosperitate vitæ proclamare: Venenum paravi, ad quod incerti casus, ad quod languor, dolor, ad quod confugeret improvisa debilitas. Miramini quod hoc fecerim homo qui circa me fortunam, qui discrimina humana lassavi? cui nescio quid adhuc ¹ paret toties victa delatio? Debit habere in sua potestate mortem, quem jam pater poterat occidere. Non est, inquit, credibile ut mori volueris absolutus, qui reus noluisti. Poteram quidem dicere, pater, Vixi dum spero fas esse, ut incipias aliquando misereri, ut te squalor meus frangat, mitigent lacrymæ, pallor exoret: sed ignosce innocentia, tunc me decuit pertinax & rigida defensio. Vixi ne me videretur expulisse de seculo profundorum scelerum deprehensa
trepit-

¹ Paret toties victa delatio.] Scribe: cui nescio quid parat toties victa delatio. Jam enim, quartum accusatur. Gronov.

trepidatio: ne super cadaver meum proclamare posses: Certe merito timui, ¹ merito prædixi venenum, qui vivendi non habeat audaciam. Ne supremis meis conviciareris, ne quid posses objicere jam non negaturo. Verum tibi de impatientia mea fatendum est, eadem mente nolui mori cum abdicares, qua non bibi cum juberes. Sed frui iterum, frui sæpius confessione tam misera, & quia oculos spectaculo non licuit implere, satientur aures, volui mori. Adjice, si videtur, hanc malis nostris contumeliam, tu interroges, quare abdicare me subinde voluisti? Quid ais rerum naturæ pietas? ita justiores causas habet impatientia, quam corporum damna, quam facultatum tristis everfio? In suprema præcipitat me pater. Ita non hæc una vox complectitur omnes calamitates? Non videmini nunc vobis universos audire miseros? Possimus fortassis aliorum accidentium sperare finem: non habent proximorum odia regressum. Quæcunque nexus accepere naturæ, & quæ sanguine visceribusque constricta sunt, non laxantur diducta, sed pereunt. Quæ de primo tenore nascendi vix in contrarium victa deflectunt, diuque, pravitatis suæ rigore durata, mox in pristinum cursum remissa non redeunt, sed totum pondus omnesque vires inclinata traxerunt: vigore quo sibi permessa crevissent, in ipsius vitii robur adolefcunt. In hoc tota est difficultas, ut incipiat non amare filium pater, hoc cum frontem confessionis accipit, reliqua præcipiti furore decurrunt: & redituris charitatibus obstat, quicquid obstiterat odiis. Semel sibi parentes liberique mutantur, semel auferuntur. Felices qui habent in conscientia sua quod debeant emendare, corrigere. Illa demum potest ira desinere quæ coaluit ex vitiis liberorum. Ego quid facio, cui non luxuria, non est mutanda petulantia? cujus abdicatio non de meis, sed de patris moribus venit? Frustra mihi exhortationes, frustra blandientur vana

P 4 folia

¹ Merito, prædixi venenum,] Excidit qui vivendi non habebat audaciam. Vel bit-
 vox: Merito prædixi: sumpsit venenum, bit, aut duxit. Idem.

folatia. Hominis quem pater odisse non desinit, unus exitus est, ut se oderit. Et quantum habet de toto dolore nostro ille quo venit ad iudicem dies? Ego cum dico, pater me odit, illud exclamo, omnes sine me sunt festi dies, omnis lætitia sine filio, non alloquitur mœstum, non affidet ille languenti. Gratissimus, quisquis de nobis tristius aliquid attulerit, quisquis maledixerit, conviciatus fuerit absenti. Ego si hoc possum ferre, merui. Alia sunt adversa, quæ de continuatione sui patientiam parant, quæ durant assiduitate, firmantque mentem. Quod te pater oderit, quotidie novum est. Minus fortassis urant invicem similitates, & mutuis detestationibus invisa respirent. Odium is tantum filius perferre poterit, qui & ipse oderit patrem. Vos nunc, iudices, universos quinimmo mortales infelicissimus juvenis interrogo, quid me facere vultis? Explicuit nos sine dubio de criminibus exitus, quod absolutus sum; tamen non hoc effecit, ne mori velim, sed ut mihi liceat & vivere. Victus sum enim mehercle, victus sum, iudices, absolutionibus meis, & (quæ certissima est animæ laborantis infirmitas) misera felicitate defeci. Quem mihi vultum domum reverso, quem suadetis animum? ¹ Non decet gaudium meum, exaspero hilaritate: non decet mœror, offendendo tristitia: capto sermonem, invisus sum tanquam arroganter insultem. Doloris causa dicor si propius aspiciar: videor, si recedo, contemnere. Quousque vincemus? Nesciunt prorsus abdicationibus mederi, qui non statim cedunt, qui conscientiæ suæ rigore nituntur. Non vincitur pater, non sum absolutus cum domum veni, nemo me diligit, nemo reveretur. Jam ad nos de penatibus illis non pertinent nisi secreta, nisi latebræ. Non exuo, non depono fordes, & mihi quotidie fenex tanquam accusaturus occurrit. Attendo quid faciam, quid loquar, qualis aspiciar, & (quod malignissimum est sollicitudinis genus) me ipse custodio.

¹ Non decet gaudium meum, exaspero.] Scribe: Non decet gaudium me, exaspero hilaritate. Gronovius.

ftodio. Satiasti me vita, satiasti. & cum felicibus quoque veniat ex nimia prosperitatis continuatione fastidium. ¹ quod tædium paras lassitudine miserorum? Consumpta est in lacrymis, in precibus ætas, exacti sordibus dies, anxietate noctes. Quid mihi contra tam indigna, tam gravia promittit integritas? Abdicari debet quem nocentem pater odit mori, quem innocentem. Sed ut credamus, inquit, voluisse te mori, cur potissimum veneno? Possis quidem pater hanc de omni supremorum genere litem facere morientibus: & quia rerum natura varias fatorum vias indulget animæ, in nullo non exitu simili ratione reprehendas quicquid electum est. Sic super strictum nudatumque mucronem proclamares, cur non veneno? Sed nihil est delicatius exitu quem non supplicia, non metus, sed collecta de calamitatibus commendat infirmitas. Mihi tamen præcipue cum hoc mortis instrumento propria concordia est: non spargit cruorem, non trucem cadaveris relinquit aspectum: placida est, quieta est. Ingratissime senex, ego & hoc sic moriendo prospexeram, ne me occidisse alius videretur. Tê nunc apprehendo, te interrogo pater: ita parricida sum ego, qui venenum affero in domum tuam imparatum, rude, terendum, cui tam multa restant antequam dari possit? Ita parricida sum, qui juxta te quæro secretum, qui de potione tibi incerta quam nemo detulit, quam simpliciter tam facile respondi? Secedo in medios penates, nullos ab introitu præpono custodes, non evito transitus, non excludo venturos. Rogo, utrum hæc omnia sunt occidere volentis, an mori? Venenum quod tibi pararetur, invenisses absconsum, reconditum, multum circa illud palloris attoniti, concisa verba, trepida suspiria, & me negantem. Parricida deprehensus effudisset venenum, ne fateretur. Cur ergo, inquit, si tibi paraveras, non bibisti? Breviter, pater, & secundum naturam conditionis humanæ respondeo, nihil aliud esse in potestate miserorum, quam ut mori velint.

P 5

velint.

¹ Quod tædium paras lassitudine miserorum.] Forte, miseriarum. Idem.

velint. Ego cum dico mori volo: non hoc dico, moriturus sum: de animo meo respondeo, non promitto de fato. Miraris quod quanvis jam teneam venenum, multum tamen adhuc casibus incertisque ¹ superest accipere? perfossis plerunque visceribus vitam tamen ab ipsa desperatione redeuntem? Strictos circa colla laqueos, aut nexus, aut ipsius corporis ruina decepit, rotatos per abrupta molis jactus explicuit. Tam consentaneum est ne moriatur qui velit, quam quod morimur inviti. Sed malo, sicut coepi, simplici tecum ratione consistere. Nihil æque pater impetu constat, quam mori velle: nec quicquam res humanæ impatientius habent pereuntis affectu. ² Hunc si retinere velles, sufficit ut moreris: & rationem quoque homini mortis eripiet, si quis abstulerit ardorem. Frangit animum quisquis intervenit, abducit, avocat quisquis alloquitur. ³ Ambiunt cuncta moriendi spatia pro vita. Ideo nos mehercle crediderim ejusmodi exitum eligere secretum. Minimum est quod confundat hominem infirmitate morientem, & exiguis causis opus est ut displiceat obitus quem misero sua sit integritas. Quid si interveniat aliquis qui gaudeat? qui vindicare se putet? si testes adhibeat oculos, quibus invidendum sit? Statim mehercle arrogans vita simulabitur, statim contumax dolor cum deprehensa morte dissentiet. Nescis quantum mihi hæsitacionis paraveris, cum interrogas, dum respondere cogis. Sed quem & reddere, iterum litigare, defendi. Me vero tunc pariter omnes tenuistis affectus, indignatio, pietas, reverentia, dolor. Ego propter patrem mori possum, coram patre non possum. Adjice nunc quod & dixisti, bibe. Si mehercle faucium palpitantemque jussisses adigere ferrum, premerem clusis vulneribus animam: si stringere apratos ad colla nexus, conarer abrupto

¹ Superest accipere? perfossis plerunque.] Scribe: multum tamen adhuc casibus incertisque superest? Accipere perfossis plerique visceribus vitam tamen ab ipsa desperatione redeuntem. nempe dum passi sunt se curari. Gronovius.

² Hunc si retinere velles, sufficit, moreris.] Immo velis. Idem.

³ Ambiuntur cuncta moriendi spatia pro vita.] Malim, ambiunt. Quicquid interponitur moræ, præbet aliquid, quod suadeat vivere. Idem.

abrupto desilire laqueo : si non injiceres manum ad præcipitia properanti, flecterem in plana cursum. ¹ Merito prorsus anima secretum solitudinemque captaveras. Interventit pater, actum est, perit ille susceptæ mortis ardor, & utroque nos resolvit affectu. Mori non debeo si vetuerit, non potero si jusserit. Bibe, inquit. Nondum quidem portioni virus aptatum est. Sed me ideo deprehendisti, quia adhuc terebatur. Multa tamen mihi pater ante facienda sunt. Volo prius convocare servulos, contrahere libertos, complorare, conqueri, mandare, defendi. Bibe. Mihi vero tunc adjecisse visus es, teneris, hæres, eamus ad judicem. Bibe. Sed hoc jubes tanquam negem venenum. Interrogare vos velut in illa secreti nostri præsentia libet, quem mihi post hanc vocem animum datis? Dicit hoc accusator, dicit hoc victus, dicit secreto, dicit sic ut possit negare si bibero. Bibe. Ego quidem volo, & hoc quam maxime paro, sed totum hunc animum senex tua aviditate mutasti. Bibe. Quid restat aliud quam ut recusantis ora diducas? Ut infundas per oppositas manus? Mihi vero tunc excidit quid velim, quid pararim. Vidi truces loquentis oculos, vultus parricidali ardore suffusos: juberi mihi videbar ut biberem tuum venenum. Nescisti pater pertinaciam meam servare, nescisti. Filium propter te mori volentem deprehendisti. Vis occidere? veta. invade poculum ne hauriam, bibam. Exclama, temerarie quid facis? Jam desino irasci, jam revertor in gratiam. Properabo, ut hoc secum aures ferant, ut impatientia tua fruantur oculi. Tibi imputes ² quod in me retorsisti quod ablata sunt sacramenta pereundi. Innocenti facilius est mori, si rogetur ut vivat. Fidem deorum, in quam me contumaciam pater, in quem tunc impulisti contentionis ardorem, cum diceres, bibe! Nec vivere mihi libuit, nec mori. Ereptus sum miser animo meo, & improvisa voce percussus, steti sine affectu, sine negatione, attoni-

¹ Merito prorsus anima secretum.] Le- | ² Quod in me retorsisti.] Alii, quod
ge: Merito prorsus, anime secretum. Gro- | me torssisti. Scribendum: quod me retor-
novius. | sisti. Idem.

attonitus, amens, & me pene aliter occidi. Nihil est profecto improvisorum dolore torrentius, & fractæ malorum contentione mentes ad inexpectata caligant. Non querelas post hoc invenio, non verba, non lacrymas. Ad nullius rei conatum sufficit mori alterius animo, & suo veneno. Licet igitur nova me reatus mole convenias, ¹ non pœnitet tamen illum fixisse, non pœnitet illum spiritum rigoremque pereundi: tanquam parricida moriebar. Pater qui queritur quod non bibi, jam nunc diceret, deprehensus erat, negare non poterat. Efferem nunc ter abdicatus, & me contenderet ad iudices meos redire non ausum. Bene quod sic effudi, tanquam rursus vita placuisset. Venenum quod videretur deprehensum nemo ideo bibisse crederetur, quia sibi paraverat. Dic nunc, non fui passurus si bibere voluisses. Deinde hoc sic probas ut me hodieque coneris occidere. Non eras passurus. Quando per fidem injicis manus? potuit eadem, potuit peragi brevitate qua jufferas. Non eras passurus. Deinde non timuisti ne mihi animum pereundi vel hoc faceret, quod putabam me juberi. Facinus est si morior, ut postea quærat an volueris occidere. Tu licet invidiam vocis illius alterius mentis simulatione defendas, occisuri tamen fuit ipsum experimentum. Nec interest rigoris, quædam patiari, an tentes. Nunquam movebit patrem filius hoc quod moritur, quem non movit hoc quod paratus est mori. Quid nunc faciam, iudices, pertinacissimo rigori? in quod me componam patientiæ genus? Videtis hominem quem nullus animi mei status mutat, quem constantia nostra, quem offendit infirmitas. ² vivere volo, perturbat, expellit. Mori conor, interpellat, exagitat. Jam fortassis aliquid si nobis hodieque clementia vestra succurrerit, paravit, invenit. Quis finis, quis exitus incredibilium malorum? De filio absoluto fecit ut

¹ Non pœnitet tamen illum fixisse.] Alii vixisse. Sed potius: non pœnitet tamen illum flexisse, non pœnitet illum spiritum rigoremque pereundi. Gronovius.

² Vivere volo, perturbat, expellit.] Lege: Vivere volo? proturbat, expellit. Supra: Tu unicum quotidie proturbare conaris è domo. Idem.

cit ut mori mallet, de moriente ut viveret. Vos vero, sanctissimi viri, quo jam ambitu, quibus possem convenire precibus? Ille vester infelix, ille vester absolutus, flere vetitus est. Non habet gratiam suam toties genua complecti, & ad fatigatam misericordiam novi discriminis pondus attulimus. O mors semper imparata miseris, negata cupientibus, quando succurres? Me infelicem, perdidisti venenum. Sed quatinus aliquid, pater, expectationi tuæ repromissi, nolo desperes. Fruere quinimmo ante suprema, ante exitum meum hac voce, vicisti. Nescio quidem quod rursus eligam obitus genus: an placeat reparare virus infelix. Sed prædico, testor, quæcunque fuderit traditio lethi, miserere, ne jubeas, miserere, ne cogas. Facilius me occiderent gemitus tui, lacrymæ tuæ. Et ne mihi putes illam secreti nostri excidisse vocem, Venenum quidem te jubente bibere non potui, quandoque tamen hoc occidet quod bibere jussisti.

DECLAMATIO XVIII.
INFAMIS IN MATREM.

ARGUMENTUM.

Male tractationis fit actio. Speciosum filium infamem tanquam incestum cum matre committeret, pater in secreta parte domus torsit, & occidit in tormentis. Interrogat illum mater quid ex filio compererit. Nolentem dicere, male tractationis accusat.

PRO MULIERE CONTRA MARITUM.

ET SI, judices, callidissimus parricida facinus suum sic ordinavit, ut vobis matrem faceret invisam, sive dissimularet misera mortem filii sui, sive quereretur, tanque monstrorum novitate circumdatam eo perduxit, ut sibi videatur infamaturus iterum vel patientiam nostram, vel dolorem: matri tamen ² in cujus calamitatibus ne minimum sibi vindicat orbitas locum, ideo ad vos fugiendum fuit,

¹ Quæcunque fuderit traditio lethi.] Haud dubie, conditio. Idem. | ² In cujus calamitatibus ne minimum sibi vindicat.] Dele rō ne. Idem.